

63  
**S U P P L E M E N T U M**  
**VIRORUM ILLUSTRIUM**  
**MONASTERII CASINENSIS**  
C O N F L A T U M

**PER DOMNUM PLACIDUM**  
**R O M A N U M**

MONACHUM, ET DIACONUM CASINENSEM.

**C A P U T P R I M U M.**

**D E R I C H A R D O.**

**R**ichardus Casinensis Abbas & Cardinalis scripsit expositionem super Regulam Sanctissimi Patris nostri Benedicti. Claruit anno Dom. 1256. & sepultus est Casini, cùm sedisset annis septem.

**A N N O T A T I O.**

**S**Epulchrum marmoreum Richardi Hannibaldensis de Molaria Domini Arcis Molariae in Latio infra Montes Tuscanos, nobilis Romani, Diaconi Cardinalis S. Angeli hodie visitur in Basilica Lateranensi, cum hac veteri inscriptione. *Memorie Richardi Hannibaldensis de Molaria S. R. E. Archidiaconi Cardinalis Sancti Angeli, qui à Gregorio Papa Nonno creatus Rome ann. 1240. obiit Lugduni in Concilio Generali ann. Domini 1274.* Exstat in Biblioth. Casinensi præfata expositio super Regulam S. Benedicti.

**C A P U T II.**

**D E B E R N A R D O.**

**B**ernardus Gallus Abbas Casinensis: Scriptis & ipse super Regulam Sancti Benedicti. Edidit quoque speculum Monachorum. Fecit etiam regesta duo, unum collationum beneficiorum, & officiorum: Alterum, omnium inquisitionum jurium, & bonorum in Castris, & Villis Monasterii Casinensis. Floruit anno 1272. Sepultus vero est in Casino, cùm sedisset annis viginti duobus.

**A N N O T A T I O.**

**B**ernardus Ayglerius Gallus Monachus Coenobii Saviniacensis, Diœcesis Lugdunensis, Innocentii Papæ IV. extitit Capellanus, &

A anno 1256. Abbas Sancti Honorati Insulae Lirinensis, deinde jussu Urbani IV. anno 1263. electus Abbas Casinensis, postmodum in coemtum Cardinalium adlectus ab eodem Urbano afferunt nonnulli, alii vero, quod probabilius, à Clemente Papa IV. Vide notam Abbatis Ughelli ad Ciac. in Clement. IV. Frizonem in Gallia Purpurata, & Arnoldum Wionem lib. 2. cap. 9. Lign. vitæ pag. 217. Hunc certè Carolus Primus Rex Franciæ illustri prudentia ac virtutis fama notissimum plurimi fecit, cùmque iter in Italiam susciperet, eundem voluit & itineris comitem, & suorum partipem ac moderatorem consiliorum. Quanti etiam habuerit Urbanus Papa IV. nostrum Bernardum, ex literis ejusdem Urbani ad ipsum, cognoscere est; ex pluribus unam resert eruditissimus Marcus Antonius Scipio in elog. Abbat. Casinens. in Bernardo. Inter opuscula, quæ scripsit, solum extat typis cusum Speculum Monachorum, in tres partes divitum; Venetis, & Colonia anno 1520. in 16. Liber super Regulam Sancti Benedicti habetur MS. Casini, & in Cœnobio Sancti Benedicti Mantuan: reliquæ vero lucubrations in Archivo Casini. MSS. reperiuntur. Obiit Bernardus Casini pridie Nonas Aprilis anno 1282. ibidemque sepultus.

B Unum vero notandum est, quod noster Bernardus Ayglerius fuit à Ciacconio, & Panvino in Elencho Cardinalium prætermisso, nec inter Purpuratos nominatus, eo quod ipsi putaverint Clementem Papam IV. nullum creavisse Cardinalem, ut affirmit eruditissimus Petrus Coretinus in Chronologia Episcoporum Viterbiensem, ideoque in Sede vacante Clementis IV. Ciacconius decem & septem Cardinales numeravit, ac propriis nominibus exprefit non recensito nostro Ayglerio, cùm re vera decem & octo fuerint, quod colligit idem Coretinus ex quadam diplomate asservato in Archivio Civitatis Viterbiensis, quod tibi damus ex originali transcriptum singulari humanitate Vir. Clar. Dominici Magri Melitenis, Canonici Viterbiensis Cathedralis, in quo Henrico Cardinali Ostiensi (qui summan in jure Canonico edidit, quamque vulgo ob excellentiam Ostiensem vocamus) conceditur facultas exequendi è Conclavi à ceteris Collegis, qui præter dictum Henricum sunt decem & septem, ut clare habetur ex decem & septem sigillis ex cera rubra pendentibus cum Sanctorum imaginibus, temporum injuria